

re venditori, sic recuperando pretium a se solutum. Ratio est, quia ipse non tenetur damnum pati, ut seruet rem Domino; sed potest jus suum prosequi, hanc reponendo in statu, in quo erat, rescindendo Contractum; si enim Dominus jus habet ad suum pollubrum, etiam hic habet jus ad pretium a se solutum; & si Dominus non recuperat suum pollubrum in manu rustici repositum, respectu reponentis id est per accidens, ac ex sola malitia ipsius rustici, cum ille mere intendat Contractum rescindere, & suum pretium recuperare: uno verbo, est damnum alterius, cui obviare non tenetur, mere permittere, ut semetipsum seruet indemnem; quod licitum esse, omnia jura clamant, cum naturale sit, prius sibi consulere, ac rebus propriis, quam alienis. Vide Alphonsum de Ligorio de Rest. dub. 2. num. 569.

M E N S E O C T O B R I S .

CAS. I. **Q**uidam honorem alteri abstulit per contumeliam, convicium, ac improprium; deinde taliter affectum benigne, & amabiliter tractavit. **Q**uæ an iste modus refarciendi honorem læsum sit sufficienter satisfactorius?

Resp. cum dist. Vel agitur de Superiore, qui inhonoravit inferiorem; Vel de inferiore, qui inhonoravit Superiorem; Vel denique de æquali, qui inhonoravit æqualem. Si primum; dico, talem modum refarciendi honorem læsum, esse sufficienter satisfactorium; quia licet etiam Superior, quando injuste offendit inferiorem, debeat reparare offensam; modus tamen hujus reparationis talis esse debet, ut nec deprimatur dignitas, nec imminuatur auctoritas, nec gradus, aut conditio vilescat: præcipue cum satisfactio, quæcumque in se sit, in hoc casu, ex diverso respectivo statu, & conditione personarum augmentum recipiat. Hinc si Prælati subditum, Princeps vassallum, Pater filium, Dominus servum offendit, non est ab his facienda veniæ petitio (idem dic de valde nobili respectu plebæi) quia hæc esset eidem subjectio contra naturæ ordinem, ut ait Stephanus a S. Gregorio de Rest. in Partic. cap. 12. num. 49., sed sufficit, eidem exhibere extraordinaria signa honoris, & benevolentia, quæ nempe similibus personis exhiberi non solent; cuiusmodi plane sunt, benigne, & amabiliter tractare, honorifice contalutare, aut quid simile; ut tradit etiam Valerius Reginaldus, Praxis tom. 1. lib. 10. de Restit. num. 355., quod est conforme monito relicto Superioribus in Regula a D. Augustino hæc verbis: *Si vos modum excessisse sentitis, non a vobis exigitur, ut a vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* Si secundum; dico, prædictum modum non esse sufficienter satisfactorium, ob rationem oppositam, propter magnam disparitatem inter offensorem, & offensum; ideoque quid plus requiri cum proportione ad qualitatem inhonorantis, & excellentiam, seu majoritatem personæ offensæ. Hinc communis est Doctorum sententia, requiri in casu petitionem veniæ, si in id offensus consentiat; & etiam quid plus, quod necessarium prudenter reputetur pro integra restitutione. Notant tamen Cajetanus, Molina, Covarruvias, & alii quamplures apud relatam a S. Gregorio num. 50., non esse necessariam veniæ petitionem quando iudicio viri prudentis honor alio modo restituitur. Si tertium; dico pariter, non sufficere dictum modum satisfactorium, sed ulterius requiri petitionem.